

Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CXLIII. De his, quæ pertinent ad Matrimonium tanquam Sacramentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

ris: vel impossibiles, ut si volaveris, vel regnum mihi dederis, non irritant matrimonium, sed ipsæ irritantur: nam præsumuntur politæ ex joco, & cum consensu, & propterea ubicumque contraheret, eas fuisse appolitas ad impediendum consensum, matrimonium non valeret. DD. in d. cap. fin. de Condit. apposit. & Tambur. d. lib. 8. de Matrim. tract. 4. §. 5. num. 8. & §. 8. per totum.

17. Quar. Quomodo verum sit, conditionem contra bonum prolis irritare Matrimonium; nam certum est, valere Matrimonium, etli conjuges voveant servare castitatem, ut de Deipara, & S. Josepho docent S. Patres, & Doctores? Resp. Conditionem contra bonum prolis irritare matrimonium, si per media illicita prolis generatio impediatur, nempe per potiones ad sterilitatem inducendam, vel seetum necandum. Secus verò si ob bonum finem, & medium licitum; quale est votum ex utriusque conjugis consensu; nam de essentia matrimonii est obligatio transferendi corpus ad generationem, non autem ipsa actualis generatio. Hurtad. de Matrim. disp. 7. diff. 9. & Tamburin. ubi supra §. 8. num. 4. & 5.

18. Quar. Quotiescumque Matrimonium non tenet ex aliquo impedimento, quo ab initio viget, si postea cesser, an opus sit, ut iterum per novum consensum coram Parocho, & testibus præstandum contrahatur? vel sufficiat, ut conjuges inter se Matrimonium revalident, & confirmet? Resp. Opus esse, ut iterum contrahant, & novum consensum præstent coram Parocho, & testibus, quia id est de forma matrimonii; & non sufficere, si inter se tantum velint matrimonium revalidare; ut docet Gutierrez in Canon. Quæst. cap. 18. num. 4. & seqq. Navarr. conf. 14. de Sponsal. & tenuit Rota coram SS. Gregorio XV. decis. 395. per totam, quæ est Magistris in hac materia, & ad quam in praxi tam Judices, quam Advocati debent recurrere.

CAPUT CXLIII.

De his, quæ pertinent ad Matrimonium tanquam Sacramentum.

1. Quar. An fidelis possit contrahere Matrimonium ut solum contractum, non verò ut Sacramentum? Resp. Theologos de hoc inter se diserepare. Nam affirmant multi, quos allegat, & sequitur Pontius de Matrim. lib. 1. cap. 9. num. 3. exemplo Baptismi, in quo quis potest abluere, & verba proferre, sed sine intentione conficiendi Sacramentum, quo casu non efficitur Sacramentum. E contra negat Suarez, Sanchez, & alii citati ab Averfa qu. 1. de Matrim. sect. 5. Vers. Constans, & Castropal. d. 2. de Spons. par. 2. num. 5.

2. Quar. Quænam sit materia, & forma Sacramenti Matrimonii? Resp. Etiam in hoc diversas, & quidem plures esse sententias Theologorum, & Canonistarum; sed tres esse probabiliiores, & à doctissimis viris amplexas, quas studiosus debet bene memoriz

suz mandare. Prima, quòd materia Sacramenti Matrimonii sint corpora conjugum, forma verò sint verba eorundem, dum consentiunt in matrimonium. Ita Layman pluribus citatis lib. 5. Theol. mor. tract. 10. part. 2. cap. 2. num. 3. Secunda, sententia Cardinalis Toleti in Sum. lib. 7. cap. 6. num. 2. quòd Materia sit consensus interior utriusque conjugis; forma verò signa exteriora, quibus consensus exprimitur, sive sint verba, sive nutus; sive per se, sive per Procuratores. Tertia, sententia Thomæ Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 5. num. 6. quòd materia sit expressio consensus utriusque conjugis per verba, sed nutus facta; forma autem sit acceptatio ejusdem consensus reciproce ab iisdem conjugibus per verba, aut nutus completa; & huic ultimæ sententiæ adhæret Tambur. d. lib. 8. de Matrim. tract. 5. cap. 1. num. 4.

3. Quar. Quis sit Minister in hoc Sacramento Matrimonii? Resp. Rejecta antiquorum opinione, communem esse sententiam Theologorum, & Canonistarum, Ministros esse ipsos contrahentes; idèque Parochum non esse Ministrum; quia, ante Concilium Tridentinum, valebat Matrimonium contractum sine præsentia Parochi; ex quo deducitur, Parochum non peccare, si assistat matrimonio in peccato mortali, quia nec Sacramentum ministrat, nec suscipit. Conjuges verò peccare mortaliter, contrahendo in peccato mortali, quia suscipiunt Sacramentum absque gratia, quæ requiritur in susceptione Sacramentorum. An autem peccent etiam tanquam ministri conferentes sibi hoc Sacramentum in statu peccati mortalis? Affirmant Navarrus in cap. 1. §. Sacerdos n. 10. de Penit. dist. 6. eò quia sunt ministri ex officio ad hoc deputati. Negat Sanchez d. lib. 2. disp. 6. num. 4. ea ratione, quia licet sint ministri deputati, non tamen sunt consecrati; & ad hoc ut minister peccet ministrando in peccato, necessaria est consecratio. Tamburin. ubi supra cap. 2. num. 4. & de Sacram. in genere, lib. 1. cap. 2. §. 3. num. 4.

4. Quar. An Matrimonium contractum inter absentes per Procuratorem sit Sacramentum? Resp. Affirmative, quia ratio matrimonii tanquam contractus naturalis elevata est à Christo Domino ad rationem Sacramenti, & sicut matrimonium contractum per Procuratorem est verè, & propriè contractus, sic etiam univocè est Sacramentum. Castropal. de Sponsal. d. 2. p. 2. num. 26. Hinc Procuratores non peccant, licet contrahendo matrimonium non sint in gratia; quia ipsi non sunt ministri suscipientes, vel conferentes Sacramentum, sed impliment conjuges, quamvis absentes; qui propterea debent esse in gratia tempore, quo verisimiliter putant, eorum Procuratores nomine ipsorum contrahere; & idè etiam eo tempore dormirent, reciperent augmentum gratiæ, prout fit in eo, qui vigilans, vel sanus petit Baptismum, & dum dormit, vel dum phræneticus est, baptizatur. Tamburin. dist. tract. 5. cap. 3. num. 3.

5. Quar. An Matrimonium Infidelium ante conversionem initum sit indissolubile?

Kk 3

Resp.

Resp. Esse omnino indissolubile, si vè consideremus illud ratum, & consummatum, si vè tantummodo ratum, quia de jure naturæ illicitus est concubitus vagus, & indifferens communicatio virorum, & uxorum; ne proles sint incertæ, & ne deserantur in educatione; præterquam quod Deus statuit à principio hanc indissolubilitatem, cum dixit *Gen. 2. Quamobrem relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*: unde subdit Christus Dominus: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Ita Tambur. *dict. lib. 8. de Matrim. tract. 5. cap. 5. §. 1. Qui §. 2. duo deducit*: Unum, quod si convertatur ad fidem infidelis habens plures uxores, debet primam tantummodo retinere, licet nunquam consummasset cum illa matrimonium, sed utique cum reliquis; nam reliquæ sunt adulteræ, prima vè est sola vera uxor. *cap. Gaudemus. De Divortii.* Alterum, Pontificem non posse dissolvere matrimonium duorum infidelium, etsi ratum, non consummatum, quia nullam habet auctoritatem in eos, qui sunt extra Ecclesiam.

6. *Quar.* An dissolvi possit Matrimonium infidelium consummatum tantummodo ante conversionem, sed non consummatum post eorum conversionem ad fidem? *Resp.* Affirmare Sanchez, & Navarrum ab eo citatum, *lib. 2. disput. 17. num. 2.* quia censetur in hoc casu esse matrimonium ratum. At negant communiter omnes Doctores alligati à Tamburin. *d. cap. 5. §. 2.* quia cum fuerit consummatum ante Baptismum etiam post Baptismum retinet qualitatem matrimoniorum consummatorum, quæ sunt omnino indissolubilia.

7. *Quar.* An dissolvatur Matrimonium Infidelium, si unus tantum ex ipsis convertatur ad fidem? *Resp.* Cum distinctione: vel infidelis vult perseverare in conjugio cum fidei, & in hoc casu matrimonium non dissolvitur, vel infidelis non vult habitare, vel si habitat, id facere intendit cum injuria Creatoris, & Baptismi, tentando scilicet subvertere baptizatum, vel cum provocando ad peccatum, & in his casibus matrimonium dissolvitur, *cap. Quanto, & cap. Gaudemus. De Divortii.* Hæc autem dissolutio fit ex speciali mandato Christi Domini, in favorem fidei ab Apostolo Paulo promulgato, dum dixit: *Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituri* (id est ligamini conjugali) *subjectus est frater, aut soror in hujusmodi. 1. Cor. 7.* Ideo si Infidelis vult habitare cum fidei absque injuria Creatoris, vel fidei, non potest fidei alias nuptias contrahere, nam ex eodem Apostolo: *Mulier infidelis sanctificata est per virum fidelem*, id est de facili obtinetur conversio ejusdem infidelis, & sic hodie servari in India, & Japonia testatur Hurrad. apud Tamburin. *dict. lib. 8. tract. 5. cap. 5. §. 3. num. 6.*

8. *Quar.* An infideles conjuncti Matrimonio in gradibus prohibitis, si veniant ad fidem, sint separandi? *Resp.* Negative, *cap. Gaudemus. De Divortii. Ricciol. de Jure Peronar. extr. grem. Eccl. existen. lib. 2. cap. 3. num. 9.*

9. *Quar.* An dissolvatur Matrimonium,

si unus ex conjugibus fiat Apostata à fide, vel in hæresim incidat. *Resp.* Negative, non solum in Matrimonio consummato, sed neque in Rato tantum. Tambur. *ubi supra num. 7.*

10. *Quar.* An suscepto Baptismo possit conjux conversus ad fidem statim cum alia fidei Matrimonium inire, vel opus sit sententia Judicis pro novo ineundo Matrimonio? *Resp.* In puncto juris non esse opus sententia, quia illic conjux conversus ad fidem potest novum matrimonium inire, quando manifesta est obstinatio alterius conjugis infidelis, & ejus recusatio circa habitationem cum fidei. Porro ad evitandas lites super validitate futuri matrimonii, utile erit, si præcedat monitio judicialis, cum termino competenti, in quo infidelis possit deliberare vel de fide amplectenda, vel de cohabitando cum fidei absque injuria Creatoris, & Fidei; & interim fidei non poterit contrahere novum matrimonium, prout neque ipse infidelis. Sanchez *lib. 7. disp. 74. à num. 11. disp. 76. num. 2.*

11. *Quar.* Si uxoratus infidelis veniat ad fidem, & subinde vel suscipiat ordines Sacros, vel emittat Professionem Religiosam, an dissolutum remaneat Matrimonium antea contractum, & consummatum cum infidei? *Resp.* Discordes esse Theologos in opinione, & negativam videri probabiliorē; quia dissolutio ad hunc solum finem concessa est à Christo Domino, ut fidei conversus non subeat periculum incontinentiæ, & possit, si velit, ducere uxorem. Ideo per professionem Religiosam conversi ad fidem, non dissolvitur vinculum matrimonii quo ad infidelem, si jam fuerat consummatum. Sanchez *lib. 7. disp. 76. & Tamburin. ubi supra num. 10. & seqq.*

12. *Quar.* An matrimonium fidei Ratum, non consummatum possit dissolvi auctoritate Pontificis quacunq; ex causa? *Resp.* Affirmative, si causa sit gravis, & iusta; non obstante plurimorum Theologorum opinione contraria, ut tenet Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 16. num. 6.* & à Sac. Congregatione decissum esse die 20. Aprilis 1613. testatur Fagnan. in *cap. Perniciosam. num. 61. de Offic. Ordinarii.* & Tambur. *dict. tract. 4. cap. 6. §. 1.* ubi id concedit etiam altero conjugē invito, urgente gravi causa, quæ talis reputatur, si subsint pericula gravium rixarum, vel scandalorum; si mutua cohabitatio esse non possit, vel ob lepram, vel ob infirmitatem contagiosam, seu sterilitatem; si sit magna inæqualitas inter conjuges; prout etiam si vir assumeretur ad Episcopatum tanquam valde necessarius ad bonum commune. Novissimè hanc affirmativam opinionem tuetur Jacobus Pignatellus *tom. 1. Consult. 147. à num. 4. & seqq.* ubi plurimos concordantes allegat, & Rotæ sententiam, ac Sac. Congregationis plura decreta adducit.

13. *Quar.* An matrimonium Ratum, dissolutum per Professionem Religiosam revalidetur, si sponsus Religiosus obtineat dispensationem Pontificiam à votis, & egrediatur à Religione? *Resp.* Negative, quia semel solutum,

tum, semper remanet solutum; idè iste dispensatus poterit uxorem ducere quamcunque voluerit, nec tenetur primam accipere. *Leander de Matrim. decis. 5. qu. 10. Tambur. d. cap. 6. §. 2. num. 2.*

14. *Quar.* An matrimonium Ratum non consummatum dissolvatur per sumptionem ordinis Sacri? *Resp.* Negativè, quamvis in eo insit votum solemne castitatis. *Extravag. Antiqua de Voto. Tamburin. d. tract. 5. cap. 6. §. 2. num. 13.* ubi id procedere dicit, etiam si uxorus sumeret Sacerdotium, ac etiam Episcopatum, quia solutio hæc solus professionis religiosæ propria est, nisi intercedat Auctoritas, & dispensatio Summi Pontificis ob aliquam urgentem causam, ut dictum est *dict. num. 12.*

15. *Quar.* Intra quantum tempus sit deliberandum ab illo, qui matrimonium ratum consummare non vult, prætextu futuræ Religionis? *Resp.* Regulariter intra bimestre, quod tamen à Judice poterit vel prorogari, vel coarctari; & interim licite potest negare debitum; etiam si verè non haberet animum ingrediendi Religionem; nam forsitan potest acquirere intra bimestre animum, quem tunc non habet. *Sanchez, Castropol. & alii, quos citat, & sequitur Tamburin. d. cap. 6. §. 3.*

16. *Quar.* An dissolvi possit matrimonium, si intra bimestre conjux cogitans de Religionem ingrediendi cognoscatur carnaliter per vim à suo conjuge, & copula non obstante coactus velit Religionem ingredi? *Resp.* Matrimonium non dissolvi, sed coactum ad copulam posse Religionem ingredi, si intra bimestre fuerit coactus; & sic qui vim intulit, in poenam suæ violentiæ carebit facultate ducendi aliam uxorem. *Sanchez lib. 2. disp. 22. num. 15. & Tambur. dict. §. 3. num. 5. 6. & 7.*

17. *Quar.* Si sponsi antequam contrahant matrimonium per verba de præsentibus, carnaliter cognoverint, possint intra bimestre post contractum Matrimonium per verba de præsentibus, non renovata copula, matrimonium dissolvere, convolvendo ad Religionem? *Resp.* Posse, quia indissolubile non fit matrimonium per copulam habitam post contractum matrimonium per verba de præsentibus; secus autem si per verba de futuro, quia tunc non est matrimonium. *Tamburin. d. §. 3. num. 8.*

18. *Quar.* An dari possit casus, in quo matrimonium ratum, & consummatum dissolvi possit? *Resp.* Negativè, quia indissolubile est usque ad mortem quoad vinculum, licet secus sit quo ad divortium, & simplicem cohabitationem. *Tamburin. dict. lib. 8. de Matrim. tract. 5. cap. 6.* ubi notat, tunc matrimonium dici consummatum, quando semen virile receptum est intra vas mulieris; quod quamvis regulariter requirat penetrationem valis, nihilominus si receptio etiam sine penetratione fieret, matrice attrahente (quod fieri posse docet *Zacchias in qq. Medico-leg. lib. 3. tit. 2. q. 8. num. 7. & 8.* & ego dixi de Pœnitentia *Decis. 27. num. 19.*) adhuc censetur matrimonium consummatum, & per consequens indissolubile.

CAPUT CXLIV.

De Solemnitatibus necessariis in contrahendo Matrimonio.

1. *Quar.* Quæ, & quot sint solemnitates necessariae in matrimonio contrahendo? *Resp.* Tres, nempe *Primo*, Præsentiam Parochi, & saltem duorum testium, sub poena nullitatis ex Concil. Trident. *sess. 24. de Ref. Matrimon. cap. 1.* de qua dictum est supra. *Secundo*, Denunciations facienda per Parochum ante matrimonii celebrationem. Et *Tertio* Benedictionem dandam ab eodem Parocho post contractum matrimonium. *Tambur. d. lib. 8. tract. 6. cap. 1.*

2. *Quar.* Quam culpa sit omittere denunciations ante contractionem matrimonii? *Resp.* Esse culpam mortalem, nisi fortè omitteretur tantum tertia denunciatio in casu nulli periculo subiecto, vel nisi dispensatio concedatur à Superiore. *Sanchez de Matrim. lib. 3. disp. 5. num. 7. & Tamburin. dict. tract. 6. cap. 3. §. 1.*

3. *Quar.* Cui competat dispensare, ne denunciations fiant? *Resp.* Competere Episcopis, ac aliis Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus; nec non eorum Vicariis Generalibus. *Tamburin. dict. §. 1. Barbosa de Offic. & Potest. Episc. alleg. 32. num. 28. & Genuens. in Praxi Curia Archiepiscop. cap. 26. num. 1.*

4. *Quar.* Quam sint causæ, ob quas Ordinarii possunt dispensare, ne fiant denunciations ante matrimonium? *Resp.* Eas reduci ad duo genera causarum. Primum est, si probabilis sit suspicio, ne matrimonium malitiose impediatur. Concil. Trident. *dict. sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.* Alterum, si imminet grave periculum animæ, corporis, vel famæ ipsorum contrahentium. *Sanchez lib. 3. disp. 9. de Matrimon.* In specie autem à Canonistis solent notari sequentes causæ; videlicet, *Primo*, Inæqualitas contrahentium, ubi nobilis ducit ignobilem, dives pauperem, senex juvenem. *Secundo*, Si concubinaris in articulo mortis velit in uxorem ducere concubinam ad legitimandam Prolem, quo casu solus Parochus dispensare potest, si tempus non permittat accessum ad Episcopum, vel Vicarium. *Tertio*, Si puella sit sub tutore, qui malitiosè differat ejus matrimonium. *Quarto*, Si puella deflorata fuerit à sponso, quem timor sit, si differatur, eam amplius non esse ducturum. *Quinto*, Si imminet tempus Adventus, vel Quadragesimæ, dummodo malitiosè ei approximatum non extiterit. *Sexto*, si matrimonium contrahendum sit inter Magnates, de quorum nullo impedimento satis manifestè constat. *Jordan. lib. 3. tit. 7. num. 54.* ubi de Patritiis Venetis loquitur. *Genuens. in Praxi Curia Archiepiscop. cap. 26. à num. 2. & seqq. Barbosa de Offic. & Potest. Episcop. alleg. 32. n. 40. & seqq. qui n. 52.* notat, dari appellationem à denegata per Ordinarium dispensatione denunciationum in casibus prædictis. At in praxi servatur, ubi petatur dispensatio denun-

cia-